

Hermann Becker

**Rector Universitatis Rostochiensis M. Hermannus Becker ... Ad Iusta Quae ...
Virgini Reginae Sophiae Heins/ A Sorore Fratre[u] Maestissimis ... Omnim
ordinum Cives Academicos prolixe officioseq[ue] invitat : [P.P. sub sigillo
Rectoratus die 1. Aprilis Anno 1672.]**

Rostochii: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77097466X>

Druck Freier  Zugang



Becker, H.,

in R. S. Hein.

Rost. 1672.

14





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77097466X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77097466X/phys_0003)





RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
M. HERMANNUS
Becker /

Inf. Math. Prof. Publ. Philosoph.



Facultatis hodiè Decanus, & ad D.

Jacobi Pastor,

Ad

JUSTA

Quæ

Lectissimæ Corporisq; & animi dotibus condecoratissima VIRGINI

REGINÆ SO-
PHIÆ Seins /

A

SORORE FRATREQ; Mæstissimis

Hodiè horâ I. persolvuntur in Aede Jacobæ,

Omnium ordinum CIVES ACADEMICOS
prolixe officioseq; invitati.

(o)

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



Eliorem homini diem esse
mortis, eo, quo nascatur die,
Sapientissimi mortalium effatum
est. *Enimvero isto, quo lucem,*
hanc conspicamur die, simul
morti consecramur, illo vero,
quo extremum nobis diem fata
numerant, felicitati veræ vitæ
restituimur; *Vitam nostram*

Portus instar esse, non ita pridem monuimus, præclare
igitur fit, si quis ex fluctibus cito in portum hunc sub-
vehitur, qui, omnibus nostris laboribus, & quas per-
pessi sumus, miseriis finem imponit. *Thracum* finiti-
mi *Trausi*, natalem cuiusq; diem fletu, & lamentatio-
nibus, emortualem risu, & gratulationibus excipere
soliti fuerunt, attentissimè nimirum reputarunt, eos,
qui hanc vitam ingrediantur, in ludibrio versari, inque
laborum atque dolorum Ergastulum præcipitari, qui
vero inde migrant, malis subtrahi omnibus, & ab exi-
lio in patriam, ab Orco in Cælum transferri. Fal-
luntur ergo animi, & impensè delirant, qui ex miseriis
quæ-

quæ situri sunt beatitudinem, quamdiu enim contigit gestare carnem hanc molem, tamdiu ægritudines animi, pravique corporis affectus pertinaci nos lacerant odio. Ordinur vitam nostram fletu, pueritiam inter flagra, & robur ætatis, inter durissima exigimus opera, Sicut pomum innascitur vermis, & vino immixta sunt fæces, ita voluptati innatus est suus dolor, in quem despumat tandem. Eleganter Cicero amores & deliciae, inquit, celeriter deflorecunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Experimur quotidie, in vita humana, tristia lætis, ac læta tristibus succedere, & voluptatem dolore, dolorem voluptate temperari. hincque Nemo uti MENANDER graphice asserit, usque vivit ex sententia, Cœca & parum felix est vita mortalium. Mors itaque fœlicissimis etiam exoptanda esse videtur, quia finis nostræ misericordiæ, & æternæ vitæ natalis est, neque ullis nisi malis, mala; Eximiè proin cum NOSTRA REGINA SOPHIA Heins, Virgine plane virtuosissimâ neminique secundâ, actum est, quæ pauculos ante dies, vitam cum morte, aut si malis, mortem cum vita permutavit; Pervenit enim hac viâ eo, ubi venerandam ac stupendam Majestatem Divinam, intrepido lustrare visu,

præ-

prædefunctosque parentes in apertos recipere
amplexus possit: Nos intaminatam hancce
Felicitatem, pudicissimæ huic virgini, merito
gratulamur, apposituri ea, quæ de prosapiâ splen-
didissimæ Virginis, Vir plurimum Reverendus
atque Clarissimus Dominus L U D O V I C U S
BARCLAI, Archidiaconus ad Divæ Mariæ meri-
tissimus, Collegaque noster honoratissimus,
conscriptis & nobis cum communicavit: Sic enim
ille. Nata est hæc pie defuncta REGINA SO-
PHIA Heins / hic Rostochii anno post Christum
natum 1647. die 3. Septembris, inter 4. & 5. matutinam.
Pater eius fuit, vir spectatae virtutis ac doctrinae
DN. HENRICUS HEINIUS, Amplissi-
morum Ducalium Oeconomus quondam fidelissimus.
Matrem habuit præstantissimam fæminam
MARGARETAM Hægmeisters. Avum pa-
ternum habuit Virum Consultissimum, Ampliss.
atq; Excellentiss. DN. ALBERTUM HEINIUM,
f. U. D. & Decretalium per annos 40. in Celeberrima
bac Universitate Professorem, Amplissimi Juriscon-
sultorum Collegii Seniorem, ac Illustrissimi Principis
Meklenb. DUCIS JOANNIS ALBERTI, Consi-
liarum intimioris admissionis, longe meritissimum.
Aviam paternam habuit CATHARINAM Hosi-
mans, matronam singularis exempli. Avum ma-
ternum

ternum fortita fuit Virum Prudentissimum ac Spe-
ctatissimum DN. GEORGIUM HAGEMEI-
STERUM, Senatorem quondam Reipublicæ hu-
jus gravissimum. Aviam Maternam MARGA-
RETAM Beselins / feminam laudatissimam.
Proavus Paternus fuit Vir Amplissimus & Consul-
tissimus DN. FRIDERICUS Hein / J. U. D.
Decretalium in hac Academia Professor, Illustrissi-
mique Principis Mecklenburg. DUCIS JOHAN-
NIS ALBERTI, Consiliarius intimioris ad-
missionis, postmodum hujus Civitatis Syndicus, ac
Consul quondam gravissimus. Proaviam pater-
nam habuit ANNAM Dobbins / Matronam,
omnibus muliebrium virtutum ornamenti conspi-
cuam. Proavum maternum fortita fuit DN. GE-
ORGIUM Hagemeister / Ecclesiarum Gusirovi-
ensem Oeconomum quondam maximè industrium,
ac fidem, & Illustrissimo Principi Mecklenburg.
DUCI ULRICO à Secretis Cameræ; Proaviam
Maternam REGINAM Krüegers / matronam
honestam. Abavum paternum habuit DN. JA-
COBUM Hein / Consulem apud Neobrandenbur-
genses quondam prudentissimum. Abaviam vero
paternam ELISABETAM Barnefues. Abavis
maternus eifuit LAURENTIUS Hagemeister/
Civis Butzoviensis; Abavia materna MAR-
GARE-

GARETA Penzings. Ad hoc natalium decus accessit, quod est palmarium, accurata parentum educatione, qua omnis eo tempore tendebat, ut filiam hanc suam in disciplinâ & eruditione Domini enutrirent; Ita etiam educata erat, ut præter puellares artes, nil nisi optima ac honesta nosse posset: Et quamvis NOSTRÆ Modestia animique innocentia satiis haec tenus innotuere, allubescit tamen ea, quæ commendandæ eximiæ virginis factura esse arbitrabimur, strictim adjicere. Enim vero **FUNCTA** Fœderis **SANCTO** baptismate initi, nunquam nescia, à fastu supercilioso abhorruit, non genas purpurisso aut oculos cerussâ pingere sivevit; Pudorem maxime omnium adeo asservavit, ut ne oculis quidem cuiusquam, quicquam de virginitatis integritate delibari permiserit. Rei domesticæ prolixè studuit, & PIETATEM, ut quam sciret habere promissiones hujus & futuri seculi, impensè amplexa est. Sed ecce! sistere illa in medio operum horum cursu gradum, Deo ita volente ac disponente, iussa est, siquidem paucos ante dies inopinato correpta morbo, decumbere cœpit, quem Vir Excellentissimus & Experientissimus D.N. SEBASTIAN. Würdig / Med. D. & Prof. Collega & amicus noster colendissimus, his verbis,
quæ

quæ hic apponi placuit, expressit. Quinto morbo die vocatus, pulsum geminam alioquin vitæ indicinam, vix deprehendere potui, adeo enim oppressus erat, imminutus, imo ferme abolitus, ut ante resperam morituram Virginem, nisi propediem mox revocaretur pronunciarem; Cognovi exinde extemplo insignem subesse morbo maximè acuto malignitatem. Sine morâ itaq; alexipharmacis & cordialia prescripsi, quæ cor ex parte liberarunt. Sextus dies anxietatibus, inquietudinibus, jeculationibus consumebatur. Septimo, apparentibus signis, sudorifero promota fuit Crisis, octavo tamen iterum disparuere petechiae, revocare itaque tentavimus iteratâ sudatione, insomnes tamen noctes & contumaces vigiliae salutis spem maxime dubiam reddebat. Finis noni diei adstantes bene quidem sperare videbatur jubere, ob dulcem, qui obrepebat somnum, evigilans tamen viribus exhanstis & spiritibus vitalibus malignitate extintis, paulo post placide in DOMINO expiravit Virago, REGINA SOPHIA: Quamprimum itaque pie demortua medicamentorum usurpatorum viribus, vehementiam affectuum minime cedere posse animadvertisset, totam leadæternum illū convertit Medicum, & quum nuperrimè sacrâ Synaxi tanquam ultimo viatico se munivisset, atque abs Confessionario etiam, Viro Maxime Reve-

Reverendo Amplissimo & Excellentissimo DN.
HENRICO MULLERO, D. & P. P. quin & Ec-
clesiarum Rostochiensium Superintendentem
bene merentissimo, Amico & Collega honoran-
do, efficacissimis scripturarum oraculis identidem
roborata sit, die 25. hujus mensis Martii, integris,
etiam sensibus & in ipso flore ætatis (ut quæ annos
saltem 24. & aliquot menses explevit) ultimum
fatum lubens ac læta exceptit. Nos CIVES
ACADEMICI quæ nostrarum futura sunt par-
tium, minime negligemus, frequentesque
(si forte an ea etiam res conferre quiequam ad le-
niendum eorum qui ex præsenti casu tristantur,
dolorem posse) VIRGINEUM FUNUS co-
mitabimur, quod ut prolixè faciatis, etiam
atq; etiam adhortamur.

P.P. sub sigillo Rectoratus die 1. Aprilis
Anno 1672.

Convenietur in Æde D. Jacobo
sacra, horâ primâ.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn77097466X/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77097466X/phys_0016)



ternum fortita fuit Virum Prudentissimum
Etatissimum DN. GEORGIUM HA-
STERUM, Senatorem quondam Rei-
jus gravissimum. Aviam Maternam
RETAM Beselins / feminam laudat
Proavus Paternus fuit Vir Amplissimus
tissimus DN. FRIDERICUS Hein
Decretalium in hac Academia Professor
mique Principis Mecklenbnrg. DUCIS
NIS ALBERTI, Consiliarius int-
missionis, postmodum hujus Civitatis S.
Consul quondam gravissimus. Proav-
nam habuit ANNAM Dobbins / M.
omnibus muliebrium virtutum orname-
cuam. Proavum maternum fortita fui-
ORGIUM Hagemeister / Ecclesiarum
ensium Oeconomum quondam maximè in-
ac fidem, & Illustrissimo Principi M.
DUCI ULRICO à Secretis Cameræ;
Maternam REGINAM Krüegers /
honestam. Abavum paternum habuit
COBUM Hein / Consulem apud Neob-
genses quondam prudentissimum. Ab
paternam ELISABETAM Barnefuer
maternus eifuit LAURENTIUS S.
Civis Butzovienfis; Abavia mater-



the scale towards document